

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2491

Auteur(s) : Guillaume Pelfol de Flottemanville [particulier]

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôpital-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1275, janvier

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume Pelfol de Flottemanville vend à l'Hôtel-Dieu de Coutances, pour cinquante sous tournois, une rente annuelle de trois boisseaux de froment, un pain de trois oboles, une geline et dix œufs dans cette paroisse.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XCII, p. 78-79.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego, Guillelmus dictus Pelfol, de parrochia de Flotemanvilla, vendidi, concessi et etiam omnino in perpetuum dimisi, priori et fratribus Domus Dei Constanciensis et eorum successoribus, tres bussellos frumenti annui redditus ad mensuram dicte ville, unum panem de tribus obolis, unam gallinam et decem ova, super una pecia terre continente circa unam virgatum, sita inter meam terram ei terram Ricardi Burnel a lateribus, et butat ex uno capite supra gardinum meum et ex alio capite versus terras de Grasmesnil. Quem redditum Ricardus Burnel michi debebat et reddebat annuatim de predicta pecia terre, videlicet dictum frumentum ad festum sancti Michaelis, dictos panes et gallinam ad Natale Domini de regardo, et ova ad Pascha Domini ; percipiendum, tenendum et habendum de cetero in perpetuum dictis priori et fratribus ac successoribus eorumdem, libere, pacifice et quiete, per manum dicti Ricardi et heredum suorum, seu cujuscumque tenentis de cetero predictam peciam terre, quam eisdem specialiter obligavi et ad faciendam ibidem in predicta pecia terre suam plenariam justiciam pro predicto reddito, sine contradictione alicujus, nisi sibi ad terminos antedictos libere redderetur. Et tenemur ego dictus Guillelmus et heredes mei dictis priori et fratribus ac successoribus eorumdem hec omnia predicta fideliter observare, garantizare et deliberare contra omnes et versus omnes bona fide, vel alibi in nostra propria hereditate, ubicumque sit, valore ad valorem excambiare, si forte garantizare et deliberare non possemus, una cum hommagio et omni alio jure quod ibi habebam aut habere poteram ego vel heredes mei, tamen salvis juribus capitalium dominorum. Et juravi, tactis sacrosanctis evangeliis, quod contra premissa de cetero per me seu per alium non veniam ullo modo. Pro hac autem venditione, concessione et dimissione taliter a me factis, predicti prior et fratres dederunt michi quinquaginta solidos turonensium et persolverunt in pecunia numerata, quam pecuniam habebant dicti prior et fratres de dono seu legato bone memorie Johannis, quondam episcopi Constanciensis, ad emendos redditus ad faciendam pitanciam in dicta domo communiter inter fratres et pauperes,

quolibet anno in die anniversarii predicti episcopi. In cujus rei testimonium perpetuum et munimen, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gratie M° CC° septuagesimo quarto, mense januarii.